

Fortes creari fortibus & bonis.

Est in iuuenis, est & in equis patrum

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam.

Equidem vt paucula de multis recenseam, Henricus ille primus, post pullos e Gallia Romanos, dux Brabantinorū cum filio Pipino. principi itidem Brabantinorū, progenitores tuæ maiestatis bellicosissimi, cum Hilderico rege Francorū ex Germania magna profecti, apud Tongros sedes sibi constituerunt. Deinde post mortē Athilæ famatissimi Germaniæ atque Sarmatiæ regis, Carolus ille Martellus cognomento, Brabantia princeps, gentilis tuæ maiestatis, cū exigua admodū manu, potentissimos, innumerabiles, immatissimosq; hostes intrepide aggressus, non modo virtute sua deuicit, verum etiam penitus deleuit. Et licet vndiq; perstreperent arma, Aquitania, Celtæ, Narbonenses, Franciaq; occidentalis animos rebelles sustulissent, Phrysi, Saxones, Dani, Veneti, Sclauī, Lusatī, Mœsi, Marcomanni, Megaloburgenses, Pomerani, Silesi, Morauī, Poloni, Auares, & Hunni, in Austria, Stiria, Carinthia & Hungaria alieni a religione Christiana vltro bellis infesti essent, Sarraceni ingenti mortalium numero occupatis Hispanijs, in Gallias terrarūq; cū liberis & vxoribus irrupissent, tanq̄ perpetuas ibi sedes collocaturi: tamen Carolus ille inuicti animi princeps, nihil veritus, tot millia Barbarorū, cum perq̄ exigua manu vltro citroq; ex prælio in prælium veluti turbo irruens, Sarracenos acie non semel profligauit, eosdemq; ad interitionē deleuit, ne cladis quidē nuntio superstite. Quadringenta hostium millia caesa fuisse, ab historicis bona fide proditū est. Carolus de suis paucissimos desiderauit, estq; illi cognomentū ab ea cæde hostium inditū, q̄ mallei in morē, capita hostium viresq; penitus contriuisset. Germanias, Galliasq; in libertatem asseruit, ac a Sarracenorū incurfionibus liberauit. Eius nepos Carolus ille vere magnus, eas gentes ex Austria atque Hungaria ita exterminauit, vt earū quoq; nomina deleuerit. Quid Gotifredū illū Bulloniensem, eiusq; fratres cōmemorem, qui relicto genituli solo, pro pietate sumptis armis, in Asiam iruperūt, ferro sibi viam per Turcarū strages Sarracenorūq; fecerūt, Syriam ex acerbissima diuturnaq; seruitute liberā reddiderūt, Palestina, vt bemq; sacrosanctā Hierosolymā nostræ salutis officinā, crudelissimis Barbaris extorserunt: regesq; Hierosolymorū iure optimo sunt appellati, longissimorū tēpore eare regionū imperio in medio hostium feliciter sunt potiti. Rursus Balduinus ac Henricus fratres Flandriæ ac Hannonicō comites, expugnata viribus Constantinopoli, Orientis imperiū sibi vindicarunt. Quid ego nunc referā, quæ Iohānes Atauus, ac Philippus Abauus aduersus Turcas gloriosissime fidissimēq; gesserūt, quæ Fridericus ille tertius, eiusq; vere incōparabilis gnatus Maximilianus, cuius auitam gloriā tibi potes hæreditario iure vindicare? Sed hac ipse quāuis immensa gloria non cōtentus, horū omniū pulcherrimā facinora longo demū intervallo Cæsar optime maximeq; superasti, qui toties paucis annis collatis signis, ex omniū hostiū genere triūphos clarissimos reportaris, Turcā repedare trepidū sapius coegeris, Aphricā pulso Aeneo

barbo